



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

Præsentatio B. Mariæ V. 21. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Sicut Christi milites, deposito corporis animaque
torpore, virtutum procedamus ad campum: deditus
corpori annum, denus anima dies: impendimus nobis
tempora, tempus deputemus auctori. vivamus Deo
paululū, qui seculo viximus totum. S.Pet.Chrys.12.

PRÆSENTATIO B. MARIAE V.
21. Novembris.

Hesus! ad spectaculum hodiernum omnes vos
in orbe parentes voco, liberos omnes. Ne
dubitare oculos adferre, cum, ut hos pascant, ef-
fundere se cælo, & convolare Superos videam,
videam arridere, acclamare audiām. Ecce TRI-
MYLA VIRGVNCVLA, Judææ delicium, patris &
matris amor, spes familiæ unica, unica fessæ æta-
tis virga, hæc inquam talis ac tanta, è parentum
sinu & brachiis non ad Veneris alicujus gynæ-
cum, non ad nuptias, quas cunis promittere
amant patres; sed ad castissima vota, ad templi
adyta deproperat, evolatque ad aram, ipsa mox
templum, ipsa Numinis ara futura. Assentientur
interea Joachimus & Anna, & filiæ sibiique plau-
dunt. Quid hîc nostra ætas? Nimirum pereat
flos virgineus, ne stirps avita: intereat pudor, ne
familia. Lacrimentur Angeli, modò nepotes ri-
deant. Sit vacuum incolis cælum, modò domus
non heredibus. Si quid pulchrum in liberis, si
quid ingenuum & liberale, aulæ hoc debetur
genio, mundi servitio mancipatur & carnis am-
plexibus. At si quid monstri nascitur, illud de-
mum, ajunt, in claustra Religiosa (desertas insulas
cogita) exportetur. Si quid bardum, blæsum, lu-
scum, claudum, hoc hoc cellâ occultetur, silentio
monastico

Nov.
.
aque
imus
nobis
Deo
12.

vos
Ne
ef
am,
RI
s &
eta
um
næ
ere
pli
ox
tur
nu
eat
ne
ri
us
, si
cur
m
le
las
u
tio
co

21. Nov. VITÆ SANCTORVM. 569
monastico corrigatur, cucullo abscondatur, togâ involvatur. Deus sibi habeat, quod nemo hominum velit: Christus domum ducat, quas thalamo omnes terræ filii excludunt. Erubescite parentes, & ruborem vestrum in speculo, in vultu Joachimi & Annæ, hodie corrigite.

MARIAM ô fidelis anima imitare. Castis Deo inhære amplexibus, devotionis gemitus emitte, amoris prome carmina, & ignita laudis sacrificium exolve: eris proculdubio pudicissima turtur eò speciosior, quod frequentius his amoris præludiis inharebis. B.Laur. Justin.in F.Pur.B.M.V.

S. COLUMBANUS CONF. 21. Novemb.

Ecc sub pedibus filii triumphatam matrem. Quid oculos avertitis filii molles, si Deus aridet? Nimirum sic pugnandum est, cum mater in filium movet, non jam mater, sed hostis; cum lacrimæ classicū canunt, tela volant verba melle illita, trabales è pectore sagittæ gemitus veniunt, ferreum pectus penetraturi; cum insidias ubera detegunt, & uni rota acies (mater) se opponit. Perrupit tamen COLVMBANVS, & quod Christi militi Hieronymus suasit, per calcata matrem ad victoriam sibi iter stravit, Religioniique opima spolia ex parente tulit. Domito cognato hoste, quid mirum si virtuti lupi cesserunt; quos inter duodenos obambularem COLVMBA-NVM ovem aurei sæculi putasses: sed & ursus antrum suum cessit fortiori. Unus Theodoricus. ~~Gallix rex monito pio ausus est resistere, sed suo & posteritatis suæ interitu. Hoc igitur etiam triumphato, dux COLVMBANVS eorum factus est, qui in parentes cælo auctore pugnant.~~

His